



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MDLX. ad annum MDCXXIII.

Parisiis, 1644

Edictvm de Concilio Provinciali I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15522

PIVS C. MEDIOLANENSE I. MAXIMILIANVS II.
P. IV. IMP. 3

ANNO CHRISTI
1565. CONCILIVM MEDIOLANENSE I.
PROVINCIALE.

Quod Pio quarto pontifice Carolus Borromæus sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis tituli sanctæ Præxedis, legatus ad uniuersam Italianam, & archiepiscopus Mediolani habuit anno MDLXV.

EDICTVM DE CONCILIO PROVINCIALI I.

Carolus Borromæus sanctæ Romanæ ecclesiæ tituli sanctæ Præxedis presbyter cardinalis, ac sanctissimi domini nostri papæ apostolicæ sedis per uniuersam Italianam de latere legatus, Dei apostolicæ sedis gratia archiepiscopus Mediolanensis.

CVM pro nostri archiepiscopalis officii munere, & antiquorum, & in sacro Tridentino Concilio proxime editorum Canonum obseruatione, ad moderandos mores, corrigendos excessus, controuersias componendas, aliaque sacris Canonibus permitta, prouinciale Concilium conuocare debeamus, vt primum necessaria sanctæ Romanae & vniuersalitatis ecclesiæ negotia, quibus apud sanctissimum dominum nostrum occupati sumus per debitam obedientiam, intermittere licuit, reuerendissimos prouinciae nostræ episcopos ad proximas Idus Octobris per literas nominatim ad singulos scriptas, ad Synodus in nostra Mediolanensi metropolitana ecclesia euocauimus. Ut igitur aliis etiam omnibus, qui de iure, vel consuetudine interesse debent, nota sit huius Concilii celebratio, neve cui ignorantiam rei excusare, aut se contemptum dicere liceat, Idcirco vniuersis, & singulis prædictis, & aliis qui sua quomodolibet interesse putauerint, etiam exemptis, & nullius dioecesis intra prouinciae nostræ limites existentibus, per hoc editum, quod in cathedralis, & aliarum insignium, quæ in singulis prouinciæ nostræ dioecesibus, etiam exemptarum, ac vicinorum nullius dioecesis, si quæ sint, locorum, ecclesiarum valuis affigi, & promulgari iussimus, prouincialis Concilii futuram celebrationem significamus, & denuntiamus, cum comminatione pœnarum a sacris Canonibus statutarum. In quorum fidem hoc editum con-

Concil. Tom. 36.

A ij

4 PIUS MAXIMILIANVS II.
P. IV. IMP.

fici & per secretarium nostrum subscribi, & nostri sigilli ANNO
impressione muniri voluimus. Data Romæ die 25. Augu- CHRISTI
sti, anno Domini M D L X V.

ORATIO CAROLI CARDINALIS
TITVLI SANCTÆ PRAXEDIS, ARCHIEPISCOPI
MEDIOLANENSIS,

In Concilio prouinciali I. habita.

DEI summo erga nos beneficio factum est, patres reuerendissimi, ut Tridentinum oecumenicum Concilium, triginta ante annis inchoatum, sed varie intermissum, singulari Pii quarti pontificis maximi pietate, ac prudentia reuocatum, insigni frequentissimorum patrum virtute, atque doctrina, superiore anno mirabiliter absolueretur. Quo in Concilio cum omnia praclare constituta sint, quæ ad explicandam fidei veritatem, & ad restituendam ecclesiasticæ disciplinæ integritatem pertinebant, diuinitus profecto, patres, illud decreuistis, ut Conciliorum prouincialium, quæ iamdiu haberi desierant, vsus aliquando renouaretur, ex quo certissimum est Christianam rem publicam vberimos salutis fructus esse percepturam. Et quidem natura, & ratione ipsa ducimur, ut in grauioribus rebus deliberandis aliorum consilia exquiramus: vel quod cautior deliberatio est, si ad nostrum iudicium multorum sententia accesserit, vel quia apud illos, quibus consulere maxime cupimus, maiorem auctoritatem, & pondus habet consultatio, in quam plures consenserint. Est huius in ecclesia instituti auctor Christus Dominus, magistrique apostoli. nam eius certa quidem sane est illa promissio, cum suam opem, suumque auxilium, se denique ipsum, eiusmodi patrum conuentibus, rite celebratis, pollicetur & defert. *Vbi fuerint, inquit, duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum: itemque: Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo.* Apostoli autem, et si doctore Spiritu sancto vberem omnium rerum cognitionem singuli acceperant, tamen, si quid grauius, publice præsertim, agendum esset, hac consultandi ratione vti consueuerunt, quam vt ceteri etiam conseruant, lege sanxerunt, vt bis in annos singulos Concilia ab episcopis haberentur. Innumerabiles deinceps sanctiones

Matth. 18.